



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 107. Theodori Bibliandri obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI. de Logica, & rebus Mathematicis, præ-
A.C. 1564. ter commentarium in librum Judicum,
 & quatuor libros Regum; præterea e-
 didit quoddam opus Philosophicum in
 tres libros divisum, cui etiam accessit
 tractatus de censura veri, & falsi.

§. CVII.

Theodori Bibliandri obitus.

Pantal. Pro- Theodorus Bibliander Episcopi-Cellæ
top. l. 3. prope San-Gallum in Helvetia na-
Melch. l. c. tus linguarum peritia, & Protestantium
 Theologia, præcipue vero in exponen-
 dis sacris Scripturis valde celebris
 credebatur, quapropter Tiguri anno
 Christi millesimo quingentesimo trige-
 simo secundo usque ad millesimum
 quingentesimum sexagesimum ad tra-
 dendam Theologiam eligebatur: cum
 autem privatas, ac Protestantium se-
 ctæ contrarias foveret opiniones circa
 Prædestinationis dogma, hinc Magistra-
 tus, ut suum Officium abdicaret, il-
 lum rogabat, quæsito obtentu, ut a la-
 boribus suis respirare posset: ne vero
 petitioni obluçtaretur, Magistratus eum
 titulo emeriti, seu veterani Doctoris
 honorabat: itaque Bibliander hoc otio
 opportune usus novæ Alcorani editio-
 ni operam navare cæpit, illiusque
 textum juxta Critices regulas corri-
 gens, desuper Arabicas, & latinas edi-
 tio-

tiones inter se contulit, addiditque Ma-
 hometis, ejusque Successorum vi-
 tas, præmissa præfatione apologetica,
 qua tamen omnes Christianos in se
 concitabat, satisque luculenter demon-
 strabat, quod Vir esset nulli omnino Re-
 ligioni addictus. Insuper plura adhuc
 alia edidit opera, ac præprimis Evan-
 gelicam Sancti Marci historiam unacum
 Joannis Marci Evangelistæ vita: præ-
 terea exposuit Prophetiam, quæ restau-
 rationem Israel, urbem Jerosolymita-
 nam, eiusque Templum, ac secundam
 terræ divisionem per Tribus tangit:
 nec minus idem Oecolampadii, & Zwin-
 glii scripta vindicavit, ac postea edi-
 dit somnium circa fatum Monarchiæ
 Romanæ, necnon Tractatum de Trini-
 tate, & Fide catholica. Denique elu-
 cubravit expositionem historicam tri-
 bus libris comprehensam de Mysteriis
 Passionis, & mortis Messæ. Obiit die
 vigesima sexta Novembris anno Domi-
 ni millesimo quingentesimo sexagesimo
 quarto, ætatis vero suæ sexagesimo.
 Hic idem ultimam manum admovit
 Leonis Judæ Bibliis, quæ Tigurinis
 teris Anno Salvatoris nostri millesimo
 quingentesimo quadragesimo tertio ex-
 cusa, biennio post Robertus Stepha-
 nus nova versione auxit in editione

Sæcul. XVI.
 A.C. 1564.

Z 4

Bi-

Sæcul. XVI. Bibliorum, quæ ipsemet unacum Vatabli annotationibus prælo subjecerat,

§. CVIII.

Vani conatus de Lutheranis, & Zwinglianis inter se uniendis.

*Spond. hoc
ann. n. 22.
Rayn. n. 24.*

Cum Calvinistæ eodem hoc anno suam factionem numero magis conspicuam reddere gestirent, sese cum Germaniæ Lutheranis unire tentabant hocque consilium illi, qui Augustissimæ Domui Austriacæ infensi erant, promovere nitebantur: proin re inter eos decreta ad diem decimam Aprilis indictum est colloquium in pervetusto Monasterio Maulbrunensi, quod in ditione Wirtembergensi sex milliariibus Spira distabat: ad hunc ergo conventum seligebatur utrinque nonnisi unicus Princeps, & quidem Lutheranorum nomine Wittembergæ Dux, pro Zwinglianis vero, seu Calvinistis Fridericus Elector Palatinus, quorum quilibet etiam secum adducebat quinque Theologos, duos secretioris Senatus Consiliarios, & Notarios: porro Wirtembergici Ducis Theologi erant Joannes Brentius, Jacobus Andreanus, Theodoricus Senepus, Balthasar Bidenbrachius, & Valentinus Vannius, Consiliarii autem erant Joannes Fizlerus, & Hieronymus Gerardus, & Tabellarii mu-